

precationi incumbimus, licebat nobis Deo relicto convertere sermonem ad nugas, jocos, risus, res profanas? Achæos laudat Homerus, Iliad. III. quod ad prælium procederent magno cum silentio: *Conspiratuque tacito nitenti pugnam indiscerentur*, ut loquitur Gellius, lib. I. cap. XI. vituperat contra Trojanos, qui loquitarentur et gruum instar confabulationibus mutuis perstreperent. Atqui nos in processionibus ad spirituale bellum egredimur, expugnaturi Dei cor, id vero in multiloquio non efficiemus; quia Dominus monet: *Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici*, Matth. VI. nugacia scilicet et futilia, licet ad orationem tendant: quanto minus ergo miscenda ludicra et profana? Josue etiam in Jerichuntinis circa urbem processionibus dejecturus urbis muros strictissimum indixit populo silentium: *Non clamabitis, inquit, nec audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur donec veniat dies in quo dicam vobis: Clamate et vociferamini*, Jos. VI. Et observatum est hoc ab omni populo. Quid aliud quærimus nos per nostras processiones, quam dejicere muros et impedimenta cœli, ut id occupemus? Frænemus ergo interea linguam nostram, donec veniet dies illa optata, in qua occupato cœlo simul vociferantes triumphum canamus. Judæi si in loco sacro forte sternutabant proximi eis salutem precari vetabantur, propter loci sanctitatem; ut scribit Hebræorum doctor Rambam, lib. I. Jad. hal. III. in cap. IV. Magis multo nos movere et modestiæ ac silentii admonere debent hi dies sacri, communi omnium supplicationi et compunctioni destinati; de quibus Sanctus Augustinus, in vig. ascensionis, serm. CLXXXIII. de temp. ita concionari incipit: « Scire debemus, et intelligere fratres charissimi, quia dies compunctionis et pœnitentiæ celebramus, et ideo non nos oportet nimio risu vel in aliquo minus cauto et congruo cachinno dissolvi, timentes illud quod Dominus in evangelio dixit: *Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis et flebitis.* » Denique, non solum istæ levitates, semper ex se malæ, deponendæ sunt eo tempore; sed etiam profana alia cæteroqui non illicita studia, quo sensu intelligit verba illa Christi: *Neminem salutaveritis*, S. Ambrosius in eum locum, Luc. X. « Ergo et hic, inquit, non salutationis officium aufertur; sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur: ut quando divina mandantur, paulisper sequestrentur humana. »

V. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*: ergo sicut oves ire debemus in processione. Et quo modo pergunt oves? Primo, gressu recto et

simplici, quo ducuntur a pastore. Sic eundem in processione ea intentione, quæ proponitur a pastore, ad exorandum Deum pro hac vel illa necessitate: non ut recreemur vel exspatiemur, non ex mera consuetudine, non ob lucrum aliquod aut negotia sæcularia. Propterea non frustra notatur Psal. CXLIV. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.*

Vulpes gressu ficto incedunt, fingunt se hac ire, et alio intendunt, ac repente illuc saltant. Non sit talis noster incessus, non sit fictus, neque duplex: sed invocemus *in veritate*: quærentes spiritualia, non carnalia bona, non labiis dolosis, sed ore simul et corde orantes.

Secundo, oves dum ambulant, non circumspiciunt, sed ad viam duntaxat suam vultum et oculos convertunt. Pari modo ambulent, qui cum processione eunt, ne a Sapiente stultitiæ arguantur, qui Prov. XVII. ait: *In facie prudentis luceat sapientia: oculi stultorum in finibus terræ*, quasi dicat: Et incessu sapientis modesto et composito elucet imago hominis sapientis: uti vice versa ex facie vagi, curiosi, levis, imago stulti, qui seipsum nesciat, nec ad se attendat.

Tertio, oves dum ad pascua pergunt, crebros interim balatus edunt. Ita decet Christianos in processione piis fundere preces, saltem breves et jaculatorias, quibus animum subinde elevent ad Deum: vel si colloqui, submissa tamen voce, velint, de rebus tantum piis, non de profanis loqui, quod etiam orationis vim habet. Monet enim Dominus, Luc. XXI. *Vigilate omni tempore orantes*: et apostolus I. ad Thessal. V. *Sine intermissione orate*, h. e. sedulo, perseveranter, assidue, quantum per alia negotia licet, uti sane licet in processione. Nunquam cesset oratio, quia nusquam deest tentatio.

Denique, si audiri a Deo volumus, sicut agni accedere ad eum debemus, non sicut lupi; non ut nocentes, sed ut innocentes: *Cum multiplicaveritis orationem*, ait Dominus, Isai. I. *non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plene sunt, quod d. lupi estis, non agni.* Agnorum sacrificio Deus placatus est ab Abel, quia velut agnus sacrificium illud obtulerat: non est placatus sacrificio frugum a Cain, quia lupus erat, sanguini insidiatus. Elephantes etiam irati objecta sibi ovicula iram deponunt et mansuescunt, referente Pierio, I. II. hierogl. Quare si et nos Deum nobis iratum reconciliare volumus, velut agni, culpa carentes, compareamus in conspectu ejus.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

SECTATORES ALII TERRÆ, ALII COELI.

Qui dicantur pugiles mundi. — I. Qui in vestitu suo gloriam quærunt. — II. Qui in corradendis opibus suam felicitatem quærunt. — III. Qui e vindicta gloriæ quærunt. — IV. Qui pro libertate carnis pugnant.

His adversantur pugiles Christi, quales primi Christiani. — I. Qui sua libenter communicant. — II. Qui cultum animæ potius quam corporis quærunt. — III. Juramentis abstinent. — IV. Inter se unanimes sunt.

THEMA.

Salutat vos Marcus filius meus. I. Petr. V.

Non exigua laus est S. Marci, quod a principe apostolorum Petro *filius* appelletur, illis verbis: *Salutat vos Marcus filius meus*. Argumentum enim est eximii amoris in Petro erga Sanctum Marcum, quem in Christo genuerat, et magnæ sanctitatis in Sancto Marco, laus hæc talis est, quæ ab omnibus Christianis jure merito expectatur. Quare si et nos filii Sancti Petri dilecti esse desideramus, Sancti Marci sectatores seu fratres esse studeamus. Notum est inter pugiles duas esse factiones, quarum una appellatur, quasi dicas, plumarii pugiles; altera, hoc est, fratres seu pugiles Marci; quæ velut antagonistæ de gloria inter se certant. Non dissimiliter inter Christianos duæ sunt factiones hominum; alii enim plumarum, alii S. Marci sectatores sunt. Illi mundum ejusque vanitates sequuntur ac propugnant: isti vero Deum. Non opus deliberare utri parti adhærendum sit. Nemo enim nostrum est, qui non S. Marci frater esse velit. Solum id superesse videtur, ut utramque contemplerur, quod nunc faciemus.

Quinam plumarii pugiles sunt, qui pro plumis luctantur et pugnant, pro rebus fluxis et inanibus. Quid levius pluma, et quid fugacius mundi bonis? Tales autem sunt pugiles mundi.

I. Qui in splendido vestitu suam gloriam quærunt. Populi in calidis regionibus utriusque Indiae plumis fere avium varicoloribus se ornare solent; coronam inde capiti facere et præinctorium. Rideremus illos nos, si videremus; at ingerim nihil aliud agunt superbi, dum per vesti-

tum splendidum gloriam sibi quærunt: omnia enim ornamenta mendicant a bestiarum plumis et pellibus, vermibus, lapidibus, plantis et arboribus: non secus ac personæ comicæ, quæ si regis personam aut reginæ agere debeant, ornamenta regia emendicant a magnatibus, ab uno vestem, ab alio torquem, ab alio coronam, gladium, etc. Quis autem illos propterea veneratur, ut magni æstimet? Post comœdiam enim omnia deponere et restituere coguntur. Ad hæc per hunc luxum avolant divitiæ. Fuit anno 1518. princeps, qui pellicium seu talarem tunicam habuit suffultam pellibus, quas pello e carduelium capitellis miro opere concinnavit, Drex. in Trism. I. III. c. IX. Qualis hic plumarum pugil? Quot aviculas suis plumulis deplumavit, ut alienis se ornaret? Et quo emolumento, nisi ut tanta vanitas legatur in libris, et rideatur ab intelligentibus?

II. Qui in opibus accumulandis suam felicitatem quærunt. Divitiæ sunt plumæ: quia sicut aves beneficio plumarum se calefaciunt et in altum tollunt, sic divites beneficio opum carnem suam fovent et in superbiam evehuntur. Talis Nabuchodonosor, de quo Ezech. XVII. dicitur: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, etc.* Plumæ significant divitias ejus, secundum D. Gregor. XXXI. moral. cap. XIX. « Sicut enim aquila sine plumis volare nequit; ita et principum dignitas omnis, nisi pecunia fulta, enervis est et facile corrui, » ut dixit Carolus IV. imp. ad principes Germaniæ, apud Dubravium, lib. XXII. Verum sicut avium pennæ subinde defluunt, ita defluerunt Nabuchodonosori, quando velut amens ejectus est in silvas. Unde monet Sapiens, Prov. XXIII. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere; quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cælum.* Ut enim aquilæ altissime evolant, ita ut conspici demum nequeant: sic opes sæpe numero avolant quam longissime, ut nihil jam ex eis videas. Id expertus ille vini mercator, cuius crumenam e navis puppi rapuit milvus pelle leporina tectam, et in aquam dejecit, teste S. Greg. Turon. de glor. confess. c. CIX. Superioribus annis Liscanus Hispanus, cum gravi obsidione Solimanus Strigonium urgeret, auro suo ex prædis consarcinato metuens, deditiois maturandæ auctor fuit. Excessurus igitur munitione, aureo

torque Halin Turcarum donat : aurum vero suum in ephippiis insignium, quos alebat, ephorum subter pulvinos condit, quo securius id secum auferat. Verum habitu ipsi permisso, equi ejus cum ephippiis et auro una cum derisione a Turca intercepti et retenti sunt, dicente : *Navigaturo nihil opus esse equis.* Sic deplumatus Posonium venit, et reus proditiōis carceri mancipatus est, Jovius et Sabell. suppl. lib. XXVI. Quales sibi pennas fecit hoc aurum, et quam procul avolavit? In Turcarum hostium manus una cum equis et ephippiis.

III. Qui vindictam, adeoque ab inimicis sternendis gloriam quærunt et solatium suum. Quid enim aliud agunt, qui ob rem levissimam lites et contentiones movent, quam qui pro pluma certant? Advertit Pierius, l. XXIV. aves incitari ad pugnam et contentionem, si alium eis in cibum detur. Quid alio, vilissimorum hominum cibo, vilius, quod Plinio teste, l. XIX. c. VI. sæpe sponte in arvis crescit? Et nonne multi ob rem vilissimam duella, certamina, contentiones et clamores ingentes cient, v. g. quia unus alteri de via non cessit; quia caput prætereunti non aperuit; quia ejus equum virga percussit? Sic fratres Josepho infensi facti sunt, eumque perdere voluerunt ac vendiderunt, quia narravit eis somnium suum de futura sua præcellentia. Unde illi indignati dixerunt : *Numquid rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ?* Gen. XXXVII. Saul, quia audivit mulieres canentes : *Percussit Saul mille, et David decem millia,* in odium Davidis exarsit, quasi tanti esset cantus mulierum, l. Reg. XVII. Aman, quod Mardocheus non flecteret ei genu velut Deo, necem non ei soli, sed toti Judæorum genti molitus est, Esth. III. Nonne hi de alio et pluma contenderunt? Annon et ille Gallus eques talis fuit, qui in bello Anglico, cum deprehendisset navarchum quemdam Genuensem similia insignia cum suis gerere, caput scilicet bovis, provocavit eum ad certamen, ut demonstraret, sibi potius deberi caput bovis, quod antiquioris stemmatis esset. At navarchus helle delusit ejus vesaniam : prodiens enim ad certamen, quæsit prius, qua de re certandum esset : *Caput bovis,* ait ille, *mea sunt insignia :* tum alter : *Nihil hæc ad me, mea enim sunt caput vaccæ tantum.* Sic elusit arrogantem, sic composuit controversiam. Et hoc non est de pluma litigare?

IV. Qui pro libertate carnis pugnant; quales in primis hæretici, in libertatem istam toti immersi. Pro pennis isti pugnant, ut libere quacumque placet, evolare queant, sed in malum suum : sicut filio prodigo nocuit accepisse libertatem et substantiæ suæ portionem; siquidem abiens in

longinqua, incidit in summas calamitates. Vulgo de Caligula imp. proditum fuit : *Nec servum ipsi meliorem, nec dominum deleriores fuisse.* Alex. l. III. c. XX. Iones etiam, dicebat Callicrates, servos esse bonos, liberos vero malos. Multorum hoc est encomium, qui dum sub jugo essent, optimi erant : postquam facti liberi sunt, pessimi evaserunt. Cogitent hoc libertini.

His e diametro adversantur fratres S. Marci. Quales vero illi? Scribit Eusebius, lib. VIII. præparat. evang. c. IV. et S. Hieronymus ex Philone Judæo, testante eo tempore, quo S. Marcus Alexandriam sedem erexit ac tenuit, Christianos per eum instructos vitam duxisse sanctissimam, qualis primorum Christianorum erat, Act. IV. a Luca descripta.

I. Omnia bona fortunæ ipsis erant communia, nec suum esse quidquam dicebant, nullum egere patiebantur, agricultura, pastoritia et mellificatione vivebant. Idem etiam studium bonorum Christianorum est, non ferre clamores graviter egentium, aut miserias illorum aspicere oculis suis, quin succurrant eis pro viribus. Scimus Christum Dominum majorem perfectionem requirere a Christianis, quam a Judæis. At his tamen præcepit Deus, Deuter. XV. *Omnino indigens et mendicus non erit inter vos, ut benedicat tibi Dominus,* non quod mendicare egenis prohiberet : (scimus enim Lazarum mendicum fuisse) sed quod eis subveniri vellet, ne graviter egerent. Multo igitur magis faciendum hoc Christianis. Guilla marchionissa, Hugonis marchionis mater, videns in itinere vicinum sacellum, audiensque appellari *pauperem Mariam,* quod nullos pene redditus haberet, ferre id non potuit, Mariam scilicet Dei Matrem in terra appellari *pauperem :* itaque eam diviti prædio dotavit, ut scribit B. Petrus Damiani, ep. XIV. libr. VII. epistol. At nonne par aut major ratio habenda vivi templi Dei, quam alterius lapidei? Egentes Christiani Dei templum vivum sunt, Dei aulici sunt. Quis jam ferat ipsos esse et dici pauperes, cum possit juvare? S. Gregorius M. « Dum quemdam pauperem in angustiis andronum recessibus a vesperilionibus inveniri mortuum contigisset, æstimans eum stipsis inopia periisse, ita per aliquot dies, ut dicitur a missarum celebratione vacando tristatus est, tamquam ei eum propriis manibus, quod dictu nefas est, peremisset, » ita in ejus vita Joan. diaconus, l. II. c. XXIX. Viderint jam illi ante quorum ædes pauperes expirant, auxilio destituti, gemunt nec audiuntur; uti Lazarus ante domum epulonis.

II. Victu et vestitu æquali et vili utebantur, velut religiosi unius familiæ; cui addebant crebra

et severa jejunia. Similes his boni Christiani sunt, qui carnem macerare potius, quam saginare student, et cultum animæ præ cultu corporis quærunt. Scimus ex Levitico, cap. XI. pisces scarpes, qui pinnulas et squamas habent, mundos a Deo declaratos, et esui salubres esse; propter eorum siccitatem scilicet, quam indicant squamæ : cæteros, qui iis carent, adeoque leves sunt, immundos, imo abominabiles et execrandos esse habitos, utpote nimis humidos et viscosos, proinde insalubres. Sed cur de usu piscium tam sollicitus est Deus? Quis non videt eum in hoc præcepto ad mores potius respicere? Et quinam pisces læves, nisi qui mollibus vestiuntur, adeoque in domibus regum potius, quam in domo Dei sunt. Quinam scabri et squamosi, nisi qui carnis curam non habent, sed eam negligunt et macerant? Isti pinnulas habent, quibus crebros in altum saltus dant, elevando mentem ad Deum : illi vero non habent; unde nec saltare possunt, sed in profundo et luto hærent, uti anguillæ et mustelæ aquaticæ. Cui videre placet talem Marci fratrem, S. Otthonem episcopum Bambergensem. videat apud Surium, in ejus vita, 2. julii. l. I. XXVI. et XXXVII. « Nunquam se ad satietatem panem in episcopatu comedisse dixit : semper enim sobrius ac pene jejunos de cœna vel prandio surrexit : apposita omnia infirmis pauperibus ac mendicis impertiens. Quodam jejunii tempore multa piscium penuria fuit : sed quidam procurator ejus lucium parvæ quantitatis, emptum duobus solidis prandenti attulit bene paratum, modeste obsecrans, ut se uberius reficeret vel cibo, qui tam magno constabat. Cui episcopus : Quanto inquit? Procurator : Duobus, ait, solidis. Et episcopus : Absit ut miser Ottho tot denarios absumat; levansque discum : Defer, ait, hunc pretiosum cibum Christo meo, qui mihi me ipso pretiosior esse debet. Defer, inquit, ei, sicubi ægrotus in lecto jacet, vel paralyticus. Nam ego robustus hoc me pane reficiam. Sic ille in opulentia sua deliciis affluebat. »

III. Juramenta inter eos nulla erant, jam enim mendacii suspectus habebatur, qui juramento quid firmaret. Decet certe hoc etiam Christianos; tum quia magna Deo irreverentia fit, si ob levem quamque causam in testem adducatur, veluti propter unum aureum; tum quia ea debet esse fides et veritas Christianorum, ut injuratis credi possit, et quævis eorum assertio vim juramenti habeat : quod certe etiam fieret, si juramentis abstinerent. Sane etiam apud Romanos flaminii Diali jurare non licebat, quod indignum videretur, ei non credi, cui divina essent credita; apud Plut. in problem. Rom. in XLIII. probl. ubi et

addit : *Juramentum homini libero pro tormento est.* Recte et Christiane; nam juramentum nonnisi in casu necessitatis, quando in re magni momenti aliæ probationes haberi nequeunt, licitum, adeoque medicamenti instar est, quod nonnisi causa necessitatis, nec sine tormento et horrore admittitur. Sane Ottho Magnus, christianissimus princeps, si quando serio loquebatur, nonnisi per prolixam suam barbam jurabat, ut refert Cuspinianus, in lib. de Cæsar. ne Deum facile in testem vocaret.

IV. Omnes inter se unanimes et quasi una anima erant. Deprehensos in peccatis excommunicabant : orationibus, contemplationi et piis operibus non secus ac nostri religiosi vacabant; ita ut in eorum, quasi in gentis suæ, laudem librum scriberet Philo. Discipuli ergo et fratres S. Marci fuerunt, quasi primi religiosi, qui sensim Ægyptum impleverunt monachis, et fecerunt quasi unum monasterium. Nimis multum peterem, si hoc a Christianis omnibus exigerem. Solum igitur hoc peto, quod jubet Dominus, ut quærant primum regnum cœlorum, et negotia cœlestia præferant terrenis. Meminerint quod dixi ex Levitico, pisces carentes squamis et pinnis, a Deo reprobatos esse; cujus præcepti etiam hanc moralem rationem tradit Origenes, hom. VII. in Levit. « Ut si quis est in aquis istis, et in mari vitæ hujus, atque in fluctibus sæculi positus, tamen debeat satis agere, ut non in profundis jaceat aquarum, sicut sunt isti pisces, qui dicuntur non habere pinnas neque squamas. Hæc namque eorum natura perhibetur, ut in imis semper et circa ipsum cœnum demorentur, sicut sunt anguillæ, et his similia, quæ non possunt ascendere ad aquæ summitatem, neque ad ejus superiora pervenire. Illi vero pisces, qui pinnulis juvantur ac squamis, ascendunt magis ad superiora, et aeri huic viciniore fiunt, velut qui libertatem spiritus quærant : » et mox : « Si quis ergo habet pinnas, quibus ad superiora nitatur, mundus est. Qui vero non habet pinnas, sed in inferioribus permanet, et in cœno semper versatur, immundus est. » Sic ille.

Sed quis exitus horum pugilium? Utra factio palmam feret? Interrogemus primos, qui pro plumis pugnant : quid tandem lucrantur in suis plumis? Id, quod Levit. I. scriptum, ut scilicet plumæ avium sacrificio deputatarum jamque deplumatarum, mitterentur in locum, in quo cineres effundi solent. Quorsum ibunt tandem vestes pretiosæ, deliciæ et divitiæ? In locum cinerum. Quid lucri habebunt contentiosi? Quid libertini? Locum in quo cineres effundi solent : *Mors depascet eos.* Interrogemus alteros S. Marci

pugiles : quid illi lucrabuntur? Id nimirum, quod ipse S. Marcus suo certamine lucrificet, ut angelico nuntio paulo ante martyrium audiret, nomen ejus scriptum esse in libro vitæ inter apostolos, ut habet ejus vita, apud Metaphr.

CONCIO II.

IN PROCESSIONIBUS QUOMODO EUNDUM.

I. Tarde et graviter. — II. Cordate et intrepide. — III. Sine armis. — IV. Cum pœnitentia. — V. Cum bona intentione. — VI. Cum devotione. — VII. Cum meditatione.

THEMA.

Misit illos binos ante faciem suam. Luc. X.

Ab antiquissimo tempore S. Gregorii M. ante mille annos et quadraginta processio hodierna in festo S. Marci peragitur. Sed cur die Marci? Quis causam indagabit? Mihi nunc ista occurrit. Symbolum S. Marci leo est, quia a rugitu quasi leonis, id est, prædicatione Joannis Baptistæ terrificæ : *Vox clamantis in deserto*, incipit evangelium suum. Jam vero de leone Scriptura sacra loquitur, quod informare possit nostram processionem. Sic enim loquitur Proverb. XXX. *Tria sunt, quæ bene gradiuntur*. Quænam illa? Primum : *Leo fortissimus bestiarum* : leo igitur bene gradiens nos instruit, quomodo nos gradi in processionibus debeamus; uti nunc videbimus.

I. Leo tarde, graviter et magnifice incedit, velut regio animo præditus, teste Aristotele, in physiolog. Sic decet nos incedere in processione tarde et graviter, Act. I. non turbare ordinem, juxta id apostoli I. Corinth. IV. *Omnia secundum ordinem fiant in vobis*. Eum videns in Colossensibus, gavisus est, ad Coloss. II. *gaudens et videns ordinem universum*. Ordo hic ornat et conservat civitatem, imo cursum cælorum, qui si turbaretur, omnia perderet; ornat et cælum in angelorum hierarchiis suis. Ad hæc non currendum, sed cum modestia eundum, sicut subditi et supplices solent ire ad regem suum. Quanta modestia et demissione putamus ivisse animalia in arcam Noe, ut ibi salutem invenirent! Cicero, homo ethnicus, libr. I. de legibus, ait : *Ad divos adeunto caste, pietatem tenento, opes amovento. Si quis secus faxit, Deus ipse vindex esto*. Cogitemus Deum nos inspicientem et numerantem gressus nostros; juxta id Job : *Tu quidem gressus meos dinumerasti*. « Aulam regiam intraturus, ait Sanctus Chrysostomus, homil. XV. in ep. ad Hebr. et habitu et oculis et incessu cunctisque aliis te componis

et ornas : in ecclesiam vero ingressurus, ubi vere est aula regia, et talis, qualis cœlestis est, vides? »

Ad thronum Salomonis inter effictos leones, quorum sex hinc, sex inde positi erant, ascendendum erat, VIII. Reg. X. sive ut cum timore et veneratione, sive ut more leonum, graviter ad regem ascendendum esse insinuaretur. Cur non magis ad thronum Dei?

II. Ambulat intrepide; unde subdit Sapiens loco supra citato : *Ad nullius pavebit occursum*. Spernit enim canum oblatrantium vim, pergens suo itinere, subinde restitans, et quasi illis minans, Plin. libr. VIII. capit. XVI. Sic decet nos in processionibus pergere intrepide, nec curare quod alii obloquantur aut rideant nos. Ita fecit Thomas Morus, baro et Angliæ cancellarius; qui, antequam cancellarius fieret, crucem in processionibus publicis sacerdoti præferebat. Factus cancellarius, non potuit adduci, ut in prolixioribus processionibus, quæ fiunt his diebus, equum ascenderet. Dicebat enim : *Nolo Dominum meum (Crucifixum) peditem eques sequi*. In templo etiam tunc non erubuit sacerdoti ad missam ministrare. Cumque malevoli canes aliqui ipsum propter hoc allatrarent, quod esset contra despectum regis, etc. respondit : *Non potest displicere domino meo regi, quod Regi regum omnium Domino serviam*, Staplet. in vita.

Quid? Heraclius imperator nonne crucem Domini suis humeris extulit in montem Calvariæ? Quod imperator sibi honori duxit, erubescat facere nobilis, miles, civis?

III. Ambulans, unguis suos non exerit, sed recondit intra pedem, quasi in vaginam. Sic decet nos in processionibus incedere sine armis. Non enim venimus pugnare cum Deo, sed ad ejus pedes supplices accedere. Ita egit junior Theodosius imperat. ingrediens in templum. Denique, incedatur sine pompis, incedatur sine odio aut amarulentia erga quemquam.

Excludantur curæ et sollicitudines domesticæ de parando cibo et nummis, et reserventur alteri tempori. Sic Abraham pergens ad montem Moria Deo filium sacrificaturus, ait servis suis infra montem : *Expectate hic cum asino; postquam adoraverimus, revertemur ad vos*, Genes. XXII. Asini sunt temporales curæ, familiam gestantes, quorum oblationem respuit Deus, Exod. XIII.

IV. Vestigia sua cauda velut scopis everrit et abolet, ne ex iis deprehendatur a venatoribus. Nos in processione bene ambulabimus, si per actum contritionis et aliquas mortificationes peccata nostra et pœnas eâ consequentes deleamus. Legimus IV. Reg. XVII. leones fuisse a Deo im-

missos in Babylonios illos, qui, ad incolendam Samariam missi a rege Assyriorum, tulerunt secum idola sua in terram sanctam. Quid autem aliud sunt peccata, quam idola? Ea igitur in loca sacra nequaquam inferenda, sed contritione saltem delenda sunt. Ad pontificem nemo ingredi cum armis permittitur, similiter ad Turcarum imperatorem : idque capitale est. Ad Dei ædes cum peccati telum adeat quis ingredi?

V. Dum ambulat, sinistro pede non transit dextrum, sed sinistrum infigit infra dextrum, more camelorum, Aristot. lib. II. animal. cap. I. Ita nos decet in processionibus ante omnia quærere regnum Dei; secundarias intentiones retro ponere. Pes dexter est, processionem peragere ad propitiandum Deum, ad flagella communia et gravia avertenda, pestem, bellum, tempestates noxias : ad impetranda beneficia, pacem, unionem principum, Ecclesiæ exaltationem, hæresum extirpationem, Turcæ depressionem : ad gratias Deo agendas pro acceptis beneficiis.

Pedem sinistrum dextero præponunt, qui exeunt animi gratia, quasi exspatiatum ob verni temporis amœnitatem, ob corporis exercitium, propter bonam societatem et conversationem, ut mercentur et potent, vel ob curiositatem; ne dicam ob flagitium aliquid patrandum, quod fecit Absalon, cum peregrinationem in Hebron instituit, sub specie reddendi vota sua Deo, revera autem ut rebellionem in patrem moliretur, uti habetur II. Reg. XV. Nautæ, qui ad septentrionem versus polum arcticum navigant, buccinam intuentur, quæ est constellatio habens formam buccinæ; qui vero versus meridiem et polum antarcticum, crucem aspiciunt, seu constellationem, crucis formam habentem. Qui ad meridiem cœli peregrinantur, crucem in processione præcedentem aspiciunt et fines pios; qui vero ad noctem perditionis, buccinam vanitatis intuentur.

VI. Cum ambulat, movet se ad scapulas. Similiter in processione cum motu devotionis ambulandum. Cogita primo, te ambulare cum cruce, et cum Christo bajulante sibi crucem ad Calvariæ montem. Qualis illa processio fuit! Ejectus fuit Christus a Judæis, et passus extra Jerusalem : ad ejus imitationem hortatur nos apostolus ad Hebr. XIV. *Exeamus igitur ad eum extra castra*, inquit, *improperium sibi portantes*. Exeamus extra castra pompæ, voluptatum, luxus; et Christi improperium gestemus, crucem meditemur.

Secundo, cogita vitam nostram esse processionem ad mortem, non secus ac via Christi fuit ad Calvariæ montem; nisi quod terminus nobis occultus est, et putatur esse longior. Mons ille a calvariis hinc inde jacentibus dictus est, secun-

dum S. Hieronymum. At nos nonne eodem pergamus? Ad cæmeterium, inquam, calvariis mortuorum plenum. Unde subjicit loco cit. apostolus : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*. Peregrini sumus, et ad patriam tendimus. Nihil jam ergo hic quæramus, ad instar illius boni latronis, qui nihil jam in mundo appetiit, aut a Christo petiit nisi ut cum ipso esset. In illa processione prima, quam hoc die Romæ instituit S. Gregorius, inter supplicandum octoginta homines corruerunt, peste extincti intra unam horam; teste S. Gregor. Turon. libr. X. histor. Quot vestrum, putatis, desiderabuntur intra hunc annum?

VII. Inter eundum crebro subsistat et respectat, an et qui sequantur. Vide tu primo, hominum piorum multitudinem : parvulos, senes, nobiles, ignobiles, quomodo Deum laudent. Eo respexit Ezechiel, cap. III. dicens : *Audivi post me vocem commotionis magnæ, et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram* : hoc est bonis pietatis exemplis se invicem excitantem ad virtutem, ut exponit S. Gregorius, homil. X. ibid. et XXIV. moral. cap. VI.

Secundo, mortem a tergo omnes insequentem. Xerxes Persarum rex flevit videns innumeram exercitus sui multitudinem, intra annos 400. interituram, teste S. Hieron. in epitaph. Nepotiani. Cogita tu hanc turbæ multitudinem intra quinquaginta annos, ubi? In visceribus terræ futuram. Mortem igitur expecta.

Tertio, processionem cœlitum sequentium Agnum cui nos annumerandos speramus, quandoquidem una est Ecclesia, militans et triumphans; sicut una est processio, cujus pars anterior jam intravit templum, posterior vero sequitur. Prior illa triumphans jam intravit cælum, posterior militans sequitur; quo et nos perducat Deus.

CONCIO III.

QUI POTISSIMUM OPERARI A DEO POSTULANDI.

I. Petendi boni angeli. — II. Boni pastores animarum. — III. Boni magistratus et superiores. — IV. Boni Christiani quicumque. Hi orent pro invicem. — V. Operarii messis et vindemiæ.

THEMA.

Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Luc. X.

Docemur in hodierno evangelio a Christo, quid potissimum petendum sit in nostris processionibus.